

Maximiliaan Plouvier

De Wal IV

31 (1620)

Hae septimana Dns Maximilianus Plouvier secre-
tarius Legionis Comitibus d' Emden ac eiusdem
oeconomus ac consiliarius tribus continuis
diebus nobis pitantias in civitate paratas sub-
ministrari largiflue curavit, sed quasi per eas
rigor ordinis relaxaretur quidam (qui forte
non norant abundare et pecuniam pati, oblo-
cuti sunt, et quod deforis per civem Ghinbertalem
Patrem D. Tudoci paratae fuissent.

Hec tantum nobis inproperatum fuit sed et bene-
factori, qui hoc anno adhuc satis abundanter vi-
num consentiri dederat: quo ista tenderent
brevi post intelleximus, cum vidimus eum
sub finem mensis in profesto S. Michaelis cum
D. Joanne Heelsemann coadiutore in Maiorem
Cartusiam proficisci Confrater ordinis futurus
cuius benefactor fuisset (nam et in ambitu
fenestram dedit). Aliis etiam monasteriis in
haec civitate benefecit, cumque viderent eum
amici et noti tam liberalium et quasi proci

gum bonorum suorum, iam eadem in animo
contempsisse non fallaciter autumabant. Nam
a duobus circiter annis serio proposuerat or-
dinem nostrum nigredi, verum locum aptum
et magistrum idoneum indagabat; consilium
suum et propositum secreta communicabat
cum P. Joanne l' Apostola seniore nostro, qui
ei Dorlandum, Sutores et alios scriptores or-
dinis nostri dabat ad legendum; non du-
bium quin orationes eius et elemosynae ascen-
derint in memoriam in conspectu Dei qui
misit ei praefatum Patrem Melbeman tan-
quam Angelum suum qui educeret eum de
terra et cognatione sua, et perduceret ad lo-
cum coelitus olim Parenti nostro S. Brunoni
ac sociis eius demonstratum, in quo videre
adhuc licet recentissimum virutis ardorem
et spiritum primae institutionis et observatio-
nem religiosorum legum, de hoc theopheto ha-
bet alma mater Cardusiana quod Deo Gralias
et sibi congratulemur quamvis quinquaginta
paucis annos aetatis compleret nam attulit ei
pecuniam sufficientem ad se alendum (tria
vel quatuor millia florenorum) et erat vir
multis animi dotibus ornatus et multarum

linguarum peritus. Valde familiariter usus fuit
Ericio Puleano cuius literas ad ipsum datas
plurimas penes me seruo, de quo sic alibi
scripsit:

Illo tempore nescio an Persona tam bonae no-
tae ex hac Provincia ad nostrum ordinem
accesserit, nisi forte D. Petrum Daemus Antver-
picensem mihi quis obiciat. Sed adhuc hi
parentibus subditus erat, Comitem se eis
praebuit et alius egregius adolevens.